



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||**

**Johannes <Damascenus>**

**Parisiis, 1577**

Præfatio Græci Cvivsdam In D. Ioannis Damasceni Parallela.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

rem sententiarum supellectilem ipsis subministraret. Quicquid porro illud est, illustriſſimo, & ſingulari virtute ac doctrina prædito, Cardinali Antonio Carafa omnino acceptum referri debet, vt qui exemplar Græcum ad me Roma vsque miſerit. Cuius etiam conſilio atque authoritate aduuctus, in reuocandis Scripturæ locis, quæ à Damasceno proferuntur, vulgatam interpretationē vbi que, quo ad reus fieri potuit, ſecutus ſum. In quo minimè dubito, quin à pijs & grauibus viris non minus gratiæ initurus ſim, quàm apud ineptos ac nouitatis cupidos, offenſionis ſubiturus. Mihi certe minoris conſtitiffe, ea meo, vt dici ſolet, Marte transferre, quàm non ſine magno, tum animi tædio, tum temporis diſpendio, Bibliorum codicem toties voluere, ac quaſita loca deſcribere. Sed antiquius habui plus aliquantò laboris ſuſcipere, quàm à veteris Interpretis veſtigis aberrando, grauibus & orthodoxis Lectoribus diſplicere. Quanquã quid hunc laborem commemoro, cum ludus potiùs fuerit, quàm labor, ſi cum hac cruce conferatur, quàm mihi ſiſit Græcus codex, nimis ſepè mendofus, ac præfertim in ijs locis, quibus, niſi conſultis Authoribus, ex quibus illi decerpti fuerant, atque adhibita diligenti collatione, vix omnino vlla medicina fieri poterat? Quæ quidem res eò maiorem mihi moleſtiam exhibuit, quòd in toto hoc volumine Theologorum nomina penè ſemper ad marginem ita citantur, vt interim, nec capita, nec librorum nomina, ſimul aſcribantur. Quò etiam factum eſt, vt ſepè ad coniecturas mihi conſugiendum fuerit, vtinam non leues & inanes. Illud, ſanè tibi non ingratum fore conſido, quòd permultas ſententias, quarũ inſcriptio falſa erat, veris ſuis Authoribus aſſerui. Hoc autem totũ quale ſit, ipſe per te Lector æſtimabis: ac ſi quem fructum hinc collegeris, hanc mihi laboris mercedē velim referas, vt pro ſalute mea preces ad Deũ adhibeas. Vale.

P R Æ F A T I O G R Æ C I C V I V S D A M I N  
D. Ioannis Damasceni Parallela.

**T**NGENTIS pretij res eſt virtus, vt quæ Deo hominem copulet, ac cælorum regnum ipſi conciliet. Hæc porro diuinorum mandatorum obſeruatione comparatur. Ait enim Dominus in ijs pollicitationibus, quas ad Iſræilitas faciebat: Si audieritis vocem meam, & Exod. 19. custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, regale ſacerdotium, gens ſancta. Quin Dei quoque filios eos eſſe pronunciauit, qui diuinis præceptis obediunt. Quantum autem bonum hoc ſit, nemo eſt qui ſermone conſequi poſſit. Etenim naturam noſtram ſuperat hæc gratia: ſpem omnem excedit adoptionis dignitas. Quocirca, vt tantis bonis potiãmur, ea, quæ nobis imperata ſunt, prompto atque alacri animo exequi conuenit. Facilis autem eius, quod ex vtilitate noſtra ſit, electio futura eſt, ſi virtutes atque aduerſaria ipſis vitia inter ſe componamus, & quicquid de ipſis, tam à Scriptura ſacra, quàm à ſanctis ac diuino numine aſſatis Patribus, dictum fuerit. Hinc enim, & luculenta iuſtorum præmia, & denunciãtos improbis cruciãtus intelligemus. Sciendum verò eſt ad Chriſtia-

D. IOANN. DAMASCENI

nae veritatis gloriam, & Philonis etiam & Iosephi monumentis sententias à nobis collectas esse. Ambo autem Hebraei, atque eruditi viri sunt. Ac proinde horum narrationibus ac sententiis summa cum diligentia attendendum est, ut qui non modo à sanctissimorum ac beatorum virorum, qui apud nos floruerunt, scopo ne tantillum quidem aberrent, sed etiam ingentem, tum in verbis, tum in moribus, similitudinem praese ferant, atque sermones à Spiritu sancto pronunciatos confirmant potius, quam imminuant, ac labefactent.

D. IOANNIS DAMASCENI

Praefatio.



SCRIPTURAE diuinitus inspiratae studium, opes, gloria, imperium, ac denique res eas omnes, quas mortales amplecti solent, antecellit: quippe quod salutis viatica nobis tribuat. Ut autem ipsius labores facilius perferamus, hoc volumen nobis praestat. Siquidem istae, quae summae admirationi sunt, incredibilem in modum praestantiora in eo inuenire est. Neque satietas ulla & fastidium legentibus oboriri potest. Etenim pulchrarum materiarum, quae hic continentur, electio Lectores ad se trahit, nec eos animis languere ac defatigari sinit, qui ea quae sequuntur, audire gestiunt.

Eccl. 24. Atque, ut litteris sacris proditum est, Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Amabilis enim re vera & expetenda est spirituum disciplinarum suauitas, ut quae animos sanctitate afficiat, eosque alacere & augeat. Complectitur autem hoc opus, quicquid vel ad mores accommodatè, vel sententiosè, vel ad monendum appositè, ad omnem causam & argumentum, tam à veteri, quam à nouo sacrorum oraculorum Instrumento dictum est, atque etiam à sanctis, & diuinitus instinctis Patribus nostris, quorum ingens gloria toto orbe celebratur, ac decantatur. Atque ea apophthegmata, quae de his rebus sparsim iacent, florum in modum decerpta, ac suis titulis collocata sunt. Porro vniuersum opus tribus libris continetur. Quorum primus ex his rebus constat, à quibus Christianos auspiciari maxime decet, nimirum à Deo, ac trina vnitatem, iam inde ab ipsis libri primordiis nos collustrante. Secundus de rerum humanarum coagmentatione ac statu verba facit. Tertius priuatim de virtute ac vitio tractat. Ceterum quò facilius inueniri possint ea, quae quaeruntur, Capitum tabula, hoc est tituli, ordine alphabetico siti sunt. Atque singula Capita in ea littera sita reperientur, à qua incipiunt. Exempli gratia, quae ab alpha incipiunt, in elemento alpha, quae à beta, in elemento beta, & sic de reliquis: in fine autem cuiusque litterae sunt tituli transmittentes, de quibus mox suo loco pauca dicam, cum, quis eorum usus sit, declarabo. Quemadmodum autem vinum aqua temperatum dulce est, ac iucundam quandam voluptatem efficit: sic etiam tota huius operis structura, utpote ex diuina Scriptura, & sanctorum ac diuinitus afflatorum Patrum lucubrationibus permixta, cum ingentibus, qui legendi cupiditate tenentur, oblectationem affert, tum multam etiam iis, qui laboris cupidum